



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Dionysii Carthusiani, luculenta iuxta ac compendiaria in Acta apostolorum exegesis siue commentaria

Dionysius <Cartusianus>

Coloniæ, 1532

VD16 D 1926

expositio 28 cap. & cum euasissemus art 28

urn:nbn:de:hbz:466:1-38702

tes triticum in mare. Jam enim & paulus eis prædixit
 nauem periclitandam. Ponit autem hoc loco Lucas par-
 tem hominis, scilicet animam pro toto homine, sicut
 in Genesi legitur Jacob in Aegyptum descendisse in ani-
 mabus sexaginta sex. **Gene. 46.** Cum autem dies factus esset,
 terram non cognoscebant, sinum vero. Id est, portum
 seu alium locū consimilē. Quēdā considerabāt habētē
 littus in quem cogitabāt si possent eijcere nauem. Et cū
 ancoras sustulissent. Quas paulo ante in aquam mise-
 rant. Committebant se mari. sine conatu na uigñ vidē-
 tes quod se ipsos iuuare multum non possent. Simul la-
 xantes iuncturas gubernaculorum nauis, & leuato ar-
 temone. Id est, modico velo, directioni portus quam ce-
 leritati nauis accommodato. Secundum auræ flatum,
 tendebant ad littus, Et cum incidissemus in locum bita-
 lassum. Id est, concursum duorum mariū, vel isthmum id
 est, linguam quandam terræ in mare protensam, mari
 utrinque circumdatam. Impegerunt nauem. Quæ in
 hunc locum offendit. Et prora quidem fixa mane-
 bat immobilis. Vt pote ipso æquoris fundo violenter
 infixa & solo retenta. Poppis vero soluebatur a vi ma-
 ris. Id est, maris impetu frangebatur. Puppis autem ē
 posterior pars nauis. Militum autem consilium fuit
 ut custodias. Id est, vinctos & captos. Occiderent, ne
 quis cum enatasset, effugeret. Centurio vero volens ser-
 uare paulum prohibuit fieri. Quia & paulus vnus fuit
 vinctorum. Iussitq; qui possent natate, mittere se in
 mare primos, & euadere. Vt eorum euasione conspe-
 cta, aliorum aueretur fiducia. & alios in tabulis fere-
 bant. Et sic factū est, ut omnes animæ. Id est, homines
 euaderent ad terrā. Vt paulus veridicus monstraret.

Expositio capituli vicesimioctauī. Et
 cum euasissemus.

Articulus vicesimus octauus.

ET cum euasissemus periculum. Tempestatis mari-
 næ. Tunc cognouimus. Ab habitatoribus loci il-
 lius. Quæ Mytilene insula vocabatur. Naufragiū

tamen hoc vt quibusdam placet in Adriatico mari acci-
disse videtur. Nam proxime præcedenti capitulo scri-
ptum est, nauigantibus nobis in Adria. Adria autem
(vt dicunt) non solum vrbs est Italæ ad mare quod vo-
catur ab ea adriaticum vel Adriacum, sed ponitur etiã
Adria, p ipso mari Adriatico. Vnde hoc loco haud esse
legendum Metilene insula vocabatur, sed legendum
eis apparet Miligina insula vocabatur. Nam Meligina
vel vt alij appellant Militine est insula in Adriatico ma-
ri, Dalmatiæ adiacens, non longe a Corsyra nigra di-
stans, & Garganum Apuliæ montem ex opposito con-
spectans. Sunt alij qui putant legendum esse Melite in-
sula vocabatur. Namque Pachino Siciliæ promontorio
insula Melite versus meridiem adiacet. Ex hac insula
post naufragium esse nauigatum, hoc illis est argumen-
to, quod post egressum de insula immediate in textu
subditur. Et cum venissemus Syracusas. [Barbari ve-
ro præstabant non modicam humanitatem nobis.] id est
multum benigne se habuerunt ad nos, cum tamen Bar-
bari soleant esse crudeles & inhumani, sed tunc ad mi-
sericordiam moti sunt, consyderatione grauissimæ tri-
bulationis, quæ tam diu affligerat istos. Porro præter
Hebræos Latinos & Græcos, cæteri Barbari appellan-
tur. [Accensa enim pyra.] id est, lignorum strue [resi-
ciebant nos omnes, ppter hymbrem qui imminebat &
frigus.] vnde deficcatione vestium, & corporis calefa-
ctione indiguimus. [Cum congregasset autem paulus
sarmentorum aliquantulam multitudinem.] id est, li-
gnorū fasciculum [& imposuisset sup ignem.] pro eius
fomento & incremento [vipera.] occulte latens inter
sarmenta [a calore cum, pcessisset.] i. calorem fugiens
erupisset [inuasit manum eius.] Vt ergo viderunt Bar-
bari pendentem bestiam de manu eius, ad inuicem dice-
bant. Vtq; homicida est homo hic.] In hoc non multū
errabant, quod eum homicidam dicebant, licet manu p-
pria non interemerit quemq;, quamuis in iudicando de
causa errauerunt. Non enim in peccati vltionem, sed ad
sanctitatis suæ ostensionem, diuinęque potestatis decla-

Act. 7.

rationem ista res contigit. Vnde quod subdunt verum non est. Quia cum euaserit de mari, ultio eum non finit viuere. Et ille quidem excutiens bestiam. Venenosam. In ignem, nihil mali. Pœnalis. Passus est. Ab ea. At illi aestimabant eum in tumorē conuertendum. Instar eorum qui veneno infecti sunt. & subito casurum & mori. & naturaliter ita fuisset, nisi supernaturalis virtus actionem naturalium impediisset causarum. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes se. .i. mutuo se aspicientes. dicebant eum esse deum. Et hoc aliquid verum fuit, quod non eo modo, ut illi putabant. Fuit autem deus quidam per gratiam excellentem, modo quo scriptum est. Ego dixi dñs estis, Et item. Dñs fortes terræ vehementer eleuati sunt. Natura eadem operantis quodammodo transformatur in id cuius operationibus præcipue conformatur, iugiterque insistit. In deo sicut carnalis homo dicitur porcus, sic spiritalis ac virtuosus, ac contemplatiuus, dicitur deus, Iudices quoque & prælati in scripturis dñi vocantur, secundum quod Moyses ait. Seruus applicabit ad deos. Et rursus, Ad deos causa pueniet. Itemque: Dñs non detrahes. Rursus propter eminentiam potestatis pauli ad facienda miracula, deus quodammodo fuit, Sic enim ad Moysen dominus ait. Constituit te deus in hac raonis. Iuxta hos modos, etiam secundum philosophos, homo solus, dicitur deus vel bestia. Præterea gentilium stulta cæcitas deum putauit quicquid ultra communem cursum aut seriem, magnum atque insolitum aliquid peragebat. In locis autem illis erant prædta insulæ principis nomine Publii, qui nos suscipiens, triduo benigne exhibuit. Publius iste postea factus est vir eximie perfectionis & sanctitatis. Contigit autem patrem Publii febribus & dysenteria. Id est, profluuiio ventris. vexatum iacere. & hoc ordinatione diuina, ut per eius curationem multi conuerterentur ad Christum. Ad quem Paulus intrauit, & eum orasset, & imposuisset ei manus, saluauit eum. .i. sanum effecit, & deinceps conuertit. Quo facto & omnes qui in insula habebant infirmitates ac

Psalm. 81.

Psalm. 46.

Exodi. 22.

Exodi. 7.

cedebant. Vel per se, vel adducti per alios. & curabantur. In quo diuinæ sapientiæ dispensatio est pensanda quemadmodum miracula ad aliorum cōuersionem seu admonitionem fiunt, & iniustis quandoq; potius quam iustis impenduntur. Vnde paulus Timotheum stomacho languidum prece nō curat. Trophimum quoque discipulum suum Mileti infirmum reliquit, qui tamen gentibus conuertendis tot signa exhibuit. Qui etiā multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus imposituerunt quæ necessaria erant. Dignum etenim fuit, vt apostolo eiusque discipulis atque comitibus de corporalibus prouideret, a quo tot spiritalia beneficia susceperunt, & p̄ quæ ad fidem fuerunt conuersi. Vnde & ipsum tanquam Apostolum, spiritalemque patrem venerabantur, & propter eum & eius discipulos. Post menses autem tres. infra quos paulus prædicationi ibidem fuit intentus. nauigauimus in naui Alexandrina q̄ in insula hyemauerat cui insulæ erat insigne castrorū. quia adhuc apparebant vt dicitur in insula antiquorū castrorum vestigia. Vel cui nauis erat insigne castrorum, quia in modum castrorum erant insignia vel interta. Porro secundum Bedā verior translatio habet, nō castrorum, sed Castorū, ita quod vitio scriptorum in secunda syllaba adiuncta est litera .r. quia videlicet Castor & Pollux gemini fratres fuerunt, quos gentiles p̄cipue in periculo maris inuocabant, maxime autem a piratis mare tueri putabantur. Vnde in littore maris eis tēpla struxerunt. Alia translatio cōtinet cui erat insigne filiorum Iouis. Fabulantur namque gentiles, præsertim poetæ Castorem & Pollucem, fuisse filios Iouis, ex Leda Thesei coniuge, quam constuprauerit Iupiter. Et cum venissemus Syracusas. urbem pulcherrimam Siciliæ, beatissimę Lucię virginis martyrio famosam. mansimus ibi triduo, & inde circumlegentes deuenimus Rhegyum. Rhegyum in vltimo Italiæ seu Calabriæ (quo loco Sicilia ab Italia dirupta est) situm est oppidum, a quo & Rhegyni habitatores vocantur. Et Rhegynensis ecclesia diuū Brunonem Carthusiani or-

dinis initiatorum in archiepiscopum dum adhuc vi-
 ueret elegit. Sed episcopatu eremiticam vitam præ-
 ferens, in ultimo Calabriae solitariam vitam læto fine
 terminauit. Illic in domo .s. Stephani a se constructa se
 pultus. ¶ Et post vnum diem afflante austro sequenti
 die venimus Puteolis ¶ quæ est ciuitas colonia Cam-
 pania secundum Bedam, tamen in Scholastica historia
 legitur, quod nomen sit insulae. Fertur quoque in glo-
 sa quod sit locus vbi Virgilius inuenit balnea medicina-
 lia ¶ vbi inuentis fratribus ¶ scilicet Christianis, qui
 tunc se mutuo omnes fratres vocabant, dei & proximi
 charitate in omnibus æstuante cum omni humilitate
 ¶ rogati sumus ¶ ab eis ¶ manere apud eos diebus sep-
 tem ¶ ad nostram refocillationem, & ipsorum informa-
 tionem ac consolationem. Iam enim fama pauli apud
 vniuersos Christianos celeberrima fuit ¶ Et sic venim⁹
 Romam. Et inde ¶ puta a Roma ¶ cum audissent fra-
 tres ¶ id est, Christiani Romani nostrum aduentum si-
 ue ab homine siue ab angelo ¶ occurrerunt nobis ¶ ex cha-
 ritate & reuerentia sua ad nos, præsertim ad paulum,
 ¶ vsque ad Appij forum, & tribustabernis ¶ Secundum
 quosdam vnum vocabulum est Appij forum, estque no-
 men fori Romæ ab Appio quodam consule constitutum,
 a quo Appia & via Appia cognominata est. Præterea
 in Scholastica recitatur historia, quod forum hoc fuit
 ab Appio, in maris litore constitutum, vt de nocte ap-
 plicantes ibi inuenirent victualia. Ibidem quoque con-
 stituit Appius tres tabernas, vtpote tres domus in quibus
 cibi exponerentur venales, Vnde tribustabernis,
 est hic vnum nomen indeclinabile significans locum il-
 lum, seu tres domos præfatas. ¶ Quos ¶ fratres ¶ cum
 vidisset paulus ¶ nam ex habitu, occurso & apparatu p̄-
 sauit quod essent fideles, timorati & iusti ¶ gratias agens
 deo ¶ quod iam Romæ conuersi essent nonnulli ad Chri-
 stum, & quod hi tam charitatiue sibi occurrerent ¶ ac-
 cepti fiduciam ¶ maiorem quam ante, seu fiduciae in-
 crementum, quod aduentus suus ad Romam fieret fructuo-
 sus. ¶ Cum autem venissemus Romam permissum est

Paulo permanere sibi met. Id est, ad suum libitum libere ambulare in vrbe. Cum custodiente se milite. Ita quod vnus miles fuit a centurione deputatus ad eius custodiam, de cuius fuga timendum non fuit. Nempe cum Romam venissent, nondum fuit Nero in imperio confirmatus, nec innotuit eius crudelitas, audiensque controuersiam esse de lege Christianorum ac iudeorum, paruipendit negocium, nec Paulum reclusit. Post tertium autem diem conuocauit Paulus primos iudeorum. Quos Romam manebant, scilicet principales. Cumque venissent dicebat eis. Ego viri fratres, nil aduersus plebem faciens. Id est, contra iudeos, quorum comparatione gentiles increduli, durante cursu legis, reputati sunt canes, imo non Moyses tantum, sed & Christus ita eos appellat. Non est, inquit, bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Aut morem patrum. Id est, legis ritum seu iudaismum. Vincit ab Hierosolymis, traditus sum in manus Romanorum. Videlicet tribuni ac prefidis centurionis ac militis. Qui cum interrogationem de me habuissent. Causam meam ingrendo & discutiendo. Voluerunt me dimittere, eo quod nulla causa mortis esset in me. Contradicientibus autem iudeis, coactus sum appellare Cæsarem, non quasi gentem meam. Iudaicam de cuius semine ego sum. Habes aliquid accusare. Propter hanc ergo causam rogavi vos videre & alloqui. Ne forte contingat vos informari sine iure. Propter spem enim Israel. Id est, propter bonum speratum, Israeli, promissum, videlicet propter testimonium seu predicationem, quam dico hanc spem esse impletam, quantum ad primum Christi aduentum, passionem ac resurrectionem. Catena hac circumdatus sum. Quo constat quod apostolus vincit seu catenatus incessit tempore tanto, cuius exemplo patientiam addiscamus. Dixerunt, nos neque literas accepimus de te a Iudæa. Id est, nulla nobis a iudeis terræ promissionis scripta est accusatio contra te. Neque adueniens aliquis fratrum. De populo iudeorum. Loquutus est quod de te malum. Rogamus autem audire a te quæ sentis. De Christi aduentu atque myste-

Mar .7.

Matt. 15.

Mar .7.

rñs L Nam de secta hac .i. Christianorū lege notum
 est nobis, q̄a ubiq; ei contradicitur. Ia multis tam genti
 libus q̄ iudæis, qui & particulares p̄sequutiones contra
 Christianos mouerunt L Cum constituisset ar̄ eis diem
 conuenerunt ad eum in hospiciū plures, q̄bus expone Mat. 3.4
 bat. Testimonia Christi testificans regnum dei Jid ē, & 10.
statum & regionem ecclesiæ militantis, beatitudinēq; Mar. 1.
patriæ cælestis, cū testificatione affirmans nunc ad ue- Lucæ: 10.
nisse Christū L suadensq; de Iesu J qd esset verus Messias Iohan. 1.
rex Israel L ex lege Moyſi & p̄phetis a mane vsque ad & 4.
vesperā lin q̄ feruor apostoli innorescit. L Et qdam iu
 dæorum J illoꝝ L credebant his q̄ a paulo dicebātur, &
 qdam non credebāt. Cumq; inuicem non essent consen
 tientes, discedebant, dicēte paulo vnum ŷbum .i. alle
 gante vnum testimonium p̄phetale L q̄a bene loquit̄
 est spirit̄ sanctus per Esaiā p̄phetā J .6. cap. L Vade ad
 populum istū & dic ad eos Jo tu Esaiā. L Aure J corpa
 li L audietis Jo iudæi ŷba Christi, discipulorūq; eī L &
 non intelligetis ea J ŷtutem & veritatem eorū percipi
 endo ac intuendo L & videntes J visu carnali L videbī
 tis J opa Christi ac apostolorū L & non p̄spicietis J .i. ex
 hoc non penetrabitis acie mentis vim operum horum,
 q̄modo scilicet non nisi deo agente fieri queant, & qua
 liter Euangelicæ legis veritas, p̄ ea monstratur, quēad
 modum ait Saluator. Opera quæ dedit mihi pater, testi
 moniū phibent de me. L Incrassatum est em̄ cor populī
 huius J .i. mēs iudæorum obtusa & obtenebrata est ne
 bula p̄priæ p̄uersitatis, sicut & Moyses ait: Incrassatus ē
 dilectus, & recalcitrauit. Crassitudo hæc cordis iudæo
 rum fuit eorum carnalitas, qua terrenis potissime in
 hæserunt. Propter quod Christi documenta ad omniū
 terrenorum contemptum hortantia aspernabantur di
 cētes. Insanit, quid eum auditis? Præterea sicut crassitu
 do corporalis efficit corpus minus agile, minusq; mobi
 le, sic crassitudo cordis, reddit animam veritatū cælesti
 um icapacē, accidiosam ac tenebrosam L & auribus J mē
 tis & corpis L grauter audierunt J q̄a & verba Christi
 indignanter atque inuite corporaliter audierunt, ad

considerandam quoque eorum efficaciam fuerunt tar-
 tissimi, quibus dixit Saluator. Qui ex deo est, verba dei
 audit. Propterea vos non auditis, quia ex deo non estis
 & oculos suos mentales compresserunt. Id est, ab
 intuitu Euangelicæ theoriæ spontanei auerterunt, spi-
 ritui sancto obicem ponentes ne forte videant oculis
 interioribus, quæ sunt veræ salutis & auribus audi-
 ant diligenter quæ dei sunt & corde intelligent
 ea quæ fidei sunt, per donum intellectus penetrando &
 conuertantur per cordialem agnitionem veritatis amorem
 ad deum & sanem eos ab infidelitate ac cæteris vi-
 cijs, animarum languoribus, secundum quod Hieremia
 dico. Cõuertimini ad me, & sanabo auersiones vestras.
 Hanc autem scripturam allegat Lucas, secundum trans-
 lationem septuaginta interpretum, Hieronymus autem
 quantum ad tenorem seu formam verborum, aliter trans-
 tulit, sensus vero redit in idem, quemadmodum Esaiæ
 ostendit. Iohannes quoque Euangelista allegat hæc ver-
 ba, pro tempore Christi prædicta atque impleta. Vbi
 etiam quædam verborum istorum asserit in persona fi-
 lij dei esse ad Esaiam prolata, videlicet ne forte conuer-
 tantur & sanem eos. Paulus vero primum horum ver-
 borum dicit a spiritu sancto prolatum, sicut nunc patuit,
 ex quo Didymus (quem Beda hoc loco beatum appel-
 lat) in libro de spiritu sancto, diuinitatem spiritus san-
 cti probauit. Quod enim nunc paulus ait a spiritu san-
 cto dictum, id Esaiæ 6. a domino dictum perhibetur, Et
 ibi per dominum intelligit verus deus. Ex quibus om-
 nibus sanctus Hieronymus durissime increpat Orige-
 nem, qui Esaiæ 6. per dominum sedentem in solio ele-
 uato, istaque verba Esaiæ loquentem, intelligit deum pa-
 trem. Per seraphim vero filium & spiritum sanctum.
 Nunc enim ostensum est per dominum ibi signari spiri-
 tum sanctum, imo deum absolute seu vnamquamque di-
 uinam personam. Ex quo liquido demonstratur vnam
 esse & voluntatem & naturam dei & spiritus sancti. Quod
 & Didymus subtilissime docet. Notum ergo sit vobis
 quoniam gentibus missum est hoc salutare dei. Id est,

Christus mundi saluator, ad gentium conuersionem & gloriam a patre per incarnationis mysterium missus est, & p apostolos deportatus, despicientibus Christum Iudæis, quemadmodum. 13. capitulo plenius dictum est, Lipsi & audient auribus mentis & corporis, prædicationem Euāgelij Christi, iuxta illud. Notū fecit dominus salutare suum, in conspectu gentium, reuelauit iusticiam suam. Māsit autē biennio toto in suo cōductu. .i. in hospicio qd ipse sibi conduxerat & in custodia libera, & suscipiebat. .i. ad audiētiā suæ p̄dicationis pie & charitatis ueadmisit. Omnes qui ingrediebantur ad eum. Iudæos ac gentiles. Prædicans regnum dei. .i. statum & gratiam ecclesiæ militantis, quæ frequenter a Christo regnum cælorum, & regnum dei vocatur, statum q̄ q̄ & gloriam, ecclesiæ triumphantis. & docens quæ sunt de domino Iesu Christo. Vt p̄ore præcepta, consilia, documenta, & testimonia Saluatoris. Cum omni fiducia. Assistentiæ dei, conuersionisq; plurimorum. sine prohibitione. Nam ante aduentum pauli ad Romā Nero annis regnauit duobus, nondū tñ fuit confirmatus in regno. Propter qd dimisit apostolum toto biennio infra Romam in suo conductu liberaq; custodia. Postea vero p̄decennium, scilicet decem annis dimisit eum in libertate maiori, ut etiam extra Romam in occidentalibus partibus p̄dicaret. Postea quartodecimo anno imperij Neronis, paulus ab ipso martyrio coronatur pro fide catholica, quæ radius est primæ & inuolabilis veritatis, omni admiratione gratiarum actione, honore & gloria superdignissimæ, cum ipsa sit super omnia deus sublimis & benedictus. Amen.

Finis commentariorum Dionysij Carthusiensis viri illuminatissimi in Actus Apostolorum apud celebrem Geltrix Tetrapolim Ruremundam

Anno. 1531.

Q 3